Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2281
Quelle:
Copyright:

auia llamado, y reconocieron non estar la falta en el estado de Vida, si no en el non saber vsar del como deuian. Sectum est in IV. *Dialogos* pium hoc Drama, quorum I. et III. inter Fratres, II. et IV. inter Sorores. Autor tacetur, qui fortassis est idem *Hieronymus de Lemos*, ut omnia suadent.

DCI.

809 Codex chartaceus germ. Sec. XVII. Folior. 405. 8. minute descriptus dicitur: *Guldten Schatze Der Himellischen Glory*, id est: *Aureus Thesaurus Coelestis Gloriae*, agitque *Partibus* III. de Vita et Morte D. N. J. Ch. Autor *Georgius Harsch* dicat *Ferdinando* II. Imp. die *Bartholomaei* Apost. anno 1635. nihil tamen de se in prolixa nuncupatoria memorat, neque alibi quidpiam de eo memoratum reperio, unde ignoro, an ad nobilem, nunc Comitum, hujus nominis gentem pertineat. Virum fuisse pium, in sacra lectione versatum, linguaeque latinae peritum ex Autorum adductorum locis patet, et fortassis concinnius ea lingua disseruisset, quam patria, quod quidem multorum ea aetate in *Germania* fatum fuit. Ait tamen in *Praefatione*, quae *Dicationem* excipit, se stilo simplici usum, quo Operis utilitas ad plures porrigeretur. *Parte* I. agit de Fructu multiplici, qui e frequenti Vitae Mortisque Christi contemplatione redundat, *Parte* II. Vitam Servatoris ab Incarnatione ad Crucifixionem perducit, *Parte* III. Reliqua usque ad Ascensionem in Coelum exequitur, tum perorat.

DCII.

Codex chartaceus ital. Sec. 704
XVII. Folior. 367. 4. non una manu exaratus continet *Thomae Bergomatis* Ord. Capuc. Adjutoris, ut vocant, Laici Opuscula Ascetica inscripta *Leopoldo* Archid. *Austr. Caroli Styriaci* filio. Sunt vero ea: *Scala di Perfezione*, *Breue Trattato di cose spirituali*, *Dell' Ascensa del nostro Signore in Cielo*, *Dell' Amore et unione, che ha l'Anima con Iddio*, *Dell' Estasi*, et quaedam de Amore Dei Fragmenta. Alia illius enumerat Ill. *Mazzuchellius* in *Scriptt. Ital. Vol.* II. P. 2. p. 942. Affectibus mysticis multum indulget Vir pius, qui se *semplice idiota et ignorante fratticello* compellat, seque sua non nisi *delle longe orationi et frequenti contemplationi* hausisse adserit. Interim tamen textibus S. Scripturae et quorundam Patrum *latinis* utitur. Obiit *Oeniponte* a. 1631. *Ferdinando* II. Imp. *Leopoldo* supracit. et *Carolo Madrutio* Card. *Tridentino* carus.

DCIII.

Codex chartaceus ital. Sec. 572
XVII. Folior. 44. 4. continet *Job. Francisci a Clesio* O. M. Summaria X. Librorum, quos de

Vita